



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Quo modo sensus & mens rebus tribuantur, quæ ijs careant. Cap. XXV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

## Exemplum Hyperboles.

## Cap. XXIII.

**H**YPERBOLE vsus est D. Augustinus, in auaros inuehens: Terra suis limitibus terminatur, aqua suis finibus limitatur, aer suo fine concluditur, calum suis terminis arctatur, sola auaritia terminū nescit. O auare, si terra tibi cuncta datur, mare queris; sed si terra et mare, aerem petis; sed si terram, mare, & aerem possideres, adhuc calū ambis, & ipsum penetrare affectas; & si calum penetraueris, adhuc non quieueris, donèc te Deo æquaueris, vel fueris superior altissimo. Hypbole ad commouendum & detestandum adhiberi solet; sed rard, vt diximus, adhibeatur, nè ineptus iudicetur orator.

Quo modo sensus & mens rebus tribuantur,  
quæ ijs careant.

## Cap. XXV.

**B**EATVS Basilus in eos inuehens diuites, qui dicunt petentibus copias suas non posse sufficere, ita inquit: Lingua iuras, te manus redarguit, tacita enim manus mendacium tuum prædicat, annuli gemma circumfulgens. Idem in oratione prima de ieiunio: Quid enim virum fortissimū Sampson, inuictum effecit? nonne ieiunium, cuius ope matris aluo cōceptus est? ieiunium eum in vtero tulit, educavit, ad ætatem virilem prouexit, et corroboravit. Et in eadē oratione: Det aliquas venter inducias, det, & fœdus nobiscū in dies quinq; feriat, qui semp efflagitat, nec vllum modū facit, qui hodiè accipit, cràs obliuiscitur; cū satur est, tū de continentia philosophatur,  
obliuiscitur

obliscitur decreta, cum diffarit. Eadem ratione dicit orator Ecclesiasticus: Superuacane vestes, sumptuosa conuiuia testantur vos non egere, vos non diligere pauperes, qui eis sua subtrahitis, ut crapulemini. Illustrius etiam haec forma dicendi adhibeatur: Vrbs Byzantium, quas voces emitteret, si loqui posset? ita vos iuuenes alloqueretur: Ite, pugnate alacriter, nobilissimam ciuitatem ad vexillum Christi restituite: veniat nunc Chrysostomi, qui me squallidam & plane mortuam resciant, ac nutriant: interficiatur scelestissimus sathana minister, qui me miseram tot iam annos opprimit. Quae dicendi forma, ad impellendos homines ad bellum, plurimum valebit.

Qua ratione coaceruare possit Ecclesiasticus orator.

Cap. XXVI.

**M**ULTA in vnū coaceruauit Gregorius Nazianzenus in oratione de laudibus Heronis, ad eum orationem conuertens, cum dixit: Quocirca ut pro fide & pietate bellum suscipis, ita tibi inuicem ab impietate bellum infertur, atq; praeter alias multas dimicationes, quas, dum priuatos & principes erudis, publice atq; priuatim, quouis denique tempore, & loco doces, admones, arguis, increpas, virtutis causa suscepisti, ab impio & vesano magistratu correptus, virgis laceraris. Ita coaceruabit Ecclesiasticus orator: Miserum, iusto Dei iudicio concitatum est in rempub. Christianam bellum, vexant acrius, quam vnquam antea, domestici et acerrimi inimici, sathanas, mundus, & origo communium miseriarum  
caro,